

GEORGII WOLFFGANGI
WEDELII,

HEREDITARII IN *Schwarza*
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI
CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ
DVCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,

FACVLTATIS MEDICÆ
DECANI,

Propempticon Inaugurale

DE

STATV NEVTRO II.

I E N Æ,
LITERIS KREBSLANIS.



I. N. I.



Non possumus, quin suppeditemus status neutri osoribus ipsi argumentum, magni momenti visum, ab autoritate, seu Socratis, sapientissimi, seu Platonis acutissimi. Hic enim *Alcibiad. II. p. m. 452.* cum præmisisset, alios esse sanos, alios ægros, non vero alios, qui neutrum istorum patiantur, addit: ἀνάγκη γὰρ ἢ εἶναι ἀνθρώπων ὄντων νοσῆν, ἢ μὴ νοσῆν, *neesse est enim hominem vel egrotare, vel non egrotare.*

Aliud vero est, ex sensu vulgi loqui, aliud secundum rectam rationem, & accuratius. Ita non aliter dicimus vulgo de ebriosis, quod nec diem nec noctem distinguant, nec solem orientem, nec occidentem attendant. Et ipse *Plato* medicinam scientiam vocat, vtilem ad depellendos morbos, ibi non distinguens accurate inter medicinam formaliter & finaliter distinctam; priori enim modo non distinguuntur, sed posteriori omnino, ars & scientia.

Hinc communissimum & potissimum argumentum pro negatiua adduci solet *latitudo sanitatis*, sub qua statum neutrum, comprehendere malunt, quam eundem admittere, vel dabilem & statuendum concedere. Adde, inter duo contraria non dari medium, & reliqua, quæ alibi dudum in *Physiologia Medica & Reformata* argumentis inuictis discussimus, quæ hoc loco saltim breuibus dilucidabimus.

Sane, quicumque latitudinem inter duo contraria concedit, concedit etiam extrema non consistere in indiuisibili. Ita enim
accu-

accura iſſime *Bartholetus* in *Encyclopæd. Dogm. Hermet. c. 2. p. 6.* inter contraria, ſcribit, non datur medium, ſcilicet ſi extrema conſiſtant in indiuiſibili, citra latitudinem, hoc enim modo inter par & impar nullum datur medium; contra vero inter ſanum & ægrum &c. quin quædam talia etiam diſtincto nomine exprimuntur, quod de crepuſculo & diluculo iam diximus.

Imo latitudo hæc non tam ad extremum alterutrum eſt adſtringenda, ſeu ſanitatis illa ad morbum, ſed amplius patet, etiam inter ſe. Sanitas enim non in certo puncto poteſt conſtitui, ſed ſuam etiam (extra hoc) habet latitudinem, nec eadem eſt in omnibus, nec in omni ætate, vt *Sennertus*, & ex eo *B. Mæbius* noſter *Fundam. med. Phyſiol. c. 4. p. 35. ſ.* ſcribunt.

Quicumque hæc concedit, etiam ſtatum neutrum concedere illum oportet. Quodcumque enim prædicatur de medio, inter duo contraria, eorumque latitudine, illud eſt & dicitur, neutrum.

Enimvero fruſtra eſt, pro non ente habere, & contra alios declarare, quæ reuera dantur omni ſeculorum, rationis & ſenſuum, teſtimonio, quæ omnia teſtantur, habere illum fundamentum in re, uſumque, eumque neceſſarium.

Præter præcipuum aſſertorem *Herophilum*, *diuinus Senex* ſi non verbis iisdem, ſane ipſa re, & verbis aliis idem confirmat *2. aphor. 5. νότοι αὐτόματοι φεράζουσι νόσους. Læſi dæſes ſpontanea dicunt, vel denunciant morbos.* Quid eſt, quæſo, læſitudo? aut eſt ſanitatis, aut morbi, an medium, ſeu neutrum? Non ſanitatis, ſani enim non ſponte ſua ſunt læſi; non ægri, neque enim decumbunt actu, ſed quietem tamen amant. Imo expreſſe dicit, *φεράζουσι, dicunt*, & mouent ægrum æque ac medicum, iubentque *Senecæ* elogio, ad primum mali ſenſum attendere, & mature obuiam ire. Minanti ruïnã domui æque & longe magis ſuccurrendum eſt, quam collapſæ. Tela imminẽtia, & præuiſa minus nocent. Non minus inter res præternaturales militat cauſa morbi, quam morbus ipſe. Venienti occurrito morbo.

)(1

Non

Non minus augmento & statui morbi occurrendum est, quam incipienti, tardi alias venere bubulci, non medici, ultra bubulcos sapientes. Idem de declinatione puta. Ergo lassitudines ex parte morbi sunt, ex parte sanitatis.

Ast ais, ὀρθοσάδειν sunt illi adhuc, sed ægre, & minus solito. Iam vero symptomata actionis læsæ non solum sunt abolitæ, nec solum depravatæ, sed etiam imminutæ. Idem dicunt causæ lassitudinis positivæ, plethora & cacochymia. Quicumque sunt plethorici, & obesi cum primis, lassi illi, iam suspecta debent habere bona sua, sunt in via morbi, non in via regia sanitatis; idem de cacochymicis dixero, ne gravidas ipsas, in principio gestationis suæ, laudemus quoque.

Tacemus, præter lassitudinem præviã, & prodromum quasi facialem morborum, a causa positiva oriundam, etiam dari consequam, a causa priuatiua. Non omnis morbus dictum factum necat, sed status ille neuter & in acutis non raro visendus, & longe magis in chronicis; ergo datur medium.

Hinc medicis etiam solenne est distinguere causam morbi, vel a facultate læsa, vel ab errore externo deriuandam. Si a facultate læsa fit vomitus v. g. morbus præsto est, non enim læditur, nisi ab intemperie, a conformatione læsa, & soluta unitate, v. g. ab erosione saltim. Sin ab errore externo, a repletionem, ab inanitione, vt in hypercatharsi, non ille morbi est, non sanitas amplius, quid ergo aliud, quam status inter vtrumque medium, adeoque neuter?

Ridiculum est, statum neutrum vocare a neutro priuatiuo, vnde fit & maneat neuter, volunt, id est, nullus, & adeo plane non ens. Eleganter hinc *Cow*, cum hanc thesin, hunc statum neutrum, seu medium, (nam hoc sensu vnice capiendus est & intelligendus, l. de purgantibus c.1.t.11.) errorem hunc externum tetigisset: τὰ σίτια, assumpta, μὴ ὀρθῶς, εἰκῆ καὶ ἀμελῶς διδόμενα παρεστῆς τῆς ἀνθρώπου, addit: καὶ νοσοποιεῖ πῶς, non recte, temere, & negligenter exhibita turbant homines, & quodammodo (vel quasi hodie quis dixerit,) morbos inducunt. Hinc & alibi ὀρθοσάδειν νοσεῖν, non
accum-

decumbentes agrotare, eleganter itidem asserit. Quid hoc est v-
trumque, explica, ediffere, fatere, quam neutro statu id fieri?

Atque hæc est illa *ῥῆσις τρίτη*, *tertia constitutio*, inter sa-
num & ægrum, neutra hæc nostra, ab ipso *Galeno* adscripta *He-
rophilo*, nec negata, nec vlllo modo legitimo neganda. Absur-
dum itaque fuerit, etiam hic incurrere *Hippocratis* censuram,
μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾶν, non temere quid faciendum, nihil præ-
teruidendum. Quid aliud inde continget, quam illud: Turpe
est vt imperatori, ita & medico dicere: Non Putaram! quod
debuisses facere.

Suggestit indicationes vtilis, præseruatorias, receptissimas.
Turpius eiicitur, quam non admittitur hostis hic communis, &
vniuersalis hominum, morbus, isque non vnus. Statui hæc pos-
sunt tam primariæ, exempli loco imminente feбри, vel cachexia,
qui sunt morbi reuera tales; quam secundariæ, vt in morbis
leuioribus. Et tales quoque in suo genere, iuxta *Coum*, ad neu-
trum statum referri queunt, suo iure merito. Ille enim lepram
(Græcorum,) prurimum, scabiem, lichenes, vitiliginem, alope-
ciam, turpitudinem magis, quam morbos esse, expresse profitetur.

Præseruatoria indicatio in statu decidentia magis locum ha-
bet, toto die, v. g. in laudata lassitudine, & eius annexis, *δυσουρε-
σίση*, prioris generis, ante morbos, e potentia proxima in a-
ctum erupturos; *vitalis*, in altera post morbos, vbi *ἀναλήψη* opus
est. Imo & *curatoria* ipsa, etiam in leuioribus illis visis, neque
enim est inutilis. Quin & grauioribus, vniuersales illi, scorbu-
tus, lues venerea, affectus hypochondriacus, & inde oriundi
sub neutrius status, seu tertii generis classe merito dici meren-
tur, vnde sæpenumero sunt valetudinarii etiam si *ὀρθοσπίδιοι*, per
plures annos medicorum tributarii.

Quid multa? in omnibus ventribus tales sunt & dantur, vt
vertigo, epilepsia, palpitatio cordis, tussis, lienteria, calculus
ipse, scabies, podagra, & quamplures alii, qui statum neutrum
abunde testantur, & exhibent sæpe.

Sane decet medicum, etiam in hoc ultra vulgus sapere, seu

προδιάγνωσις πρὸ τῆς κἀμνεῖν, *præcognitio* | *antequam egrotent*, quod inuentum honestum sibi inuentori arrogat *Hippocrates*, utile vero discipulis. Idque exemplo illustrat, quid eueniat ἀνθρώποισι ὑγιαίνειν δοκέουσι, *hominibus qui sani sibi esse videntur*, & proportionem inter cibos & labores negligunt. Et elegantissima hæc vox in omni statu neutro a priori, vt ita loquamur, seu modo dicto primi generis, ostendit vsum insignem huius doctrinæ iam tactæ. Dimidium curæ est, præcognoscere, imo, vt illud *Aescraei* huc applicemus, πλεόν ἤμισυ παντός, *dimidium plus toto*.

Ex recentioribus non possumus diffiteri, primis studiorum annis dudum olim huc inductos esse, ab acutissimo Medico & Philosopho *Scaligero*. Hic enim *Exerc. 290. de subtil. t. 1.* cum ex *Aristotele* egregia huc facientia præmisisset, apud ipsum legenda, seruiunt illa, *inquit*, medico, ponenti neutrum corpus. Quippe tertianarius, qui hodie non febrit, heri februit, cras febre corripitur: eadem regula naturæ, neque sanus, neque æger est. Itaque etiam τὴν καχεξίαν ponit controuersam inter morbum & sanitatem. Ita sane latitudo sanitatis, vi contrariorum, si quis eidem inhærerere velit, æque sanitati contra debetur morbo, vt crepusculum diei & nocti commune, per dicta.

Et si quis vel verba *ἰσχυρῶς* audeat, de tepidis ad euomendum aptissimis, aliter quam de neutro turpiter interpretari, vel Ethnicus profanus audiatur, communi suo sensu melius vsus, *Galenus* inquam, qui *l. 1. de simpl. med. facult.* ex ignorantia confessa chimix, Ἀκαχεξίως hodie notissimæ, aceti diuersas partes separandi, vel distinguendi potius, inter calidum sulphureum & salinum, internum & externum, rubefaciens, & figens, seu obtundens, apertis verbis fatetur, illud esse ἰδέτερον, NEUTRUM, nec calidum, nec frigidum.

Satis fit, vt hæc concludamus, illud addere, metiri rem quamque suo modulo ac pede verum est, & accuratius longe procedere in theoria & praxi, congrue antiquis & rei ipsi, qui statum neutrum concedunt, statuunt, attendunt; & maiorem censuram mereri, qui contrarium sustinent, quam qui modeste admit-

admit-

admittunt, & reliquos suo sensu abundare sinunt. Idque non tantummodo in toto, sed etiam in hac vel illa parte ipsa, quod eundem non parum illustrare posset.

Quod si vero Herophili illam classicam sententiam, & effectum latius profequi vellemus, ex ipsius *Pergameni* vltiori recensione, longius omnino excurrere necessum foret, ac vltra nostri propositi institutum. Suffecerit pauca saltim alia exempla, in foro medico obuia, breuibus delibare, quibus velut analogis inuitamur in medium illud simile, vel neutrum condescendere, nisi doctrinæ gratiam, & receptum vsum loquendi in vniuersum, velimus dimittere, & repudiare, & contra consuetudinem loqui.

Quid, quæso, sunt res nonnaturales, quam respectu naturalium constituentium, & præternaturalium destruentium, neutra, seu mediæ? quæ ad conseruandum & laedendum sunt aptæ, prout vtentem inuenerint. Simile quid occurrit notorium inter partes similes, seu simpliciores, & dissimiles, seu compositas inter se, ac organicas, quas inter audiunt hinc similes aliæ ad sensum, & apparenter magis tales, aliæ exquisite & reuera tales. Plura alia huc afferre integrum esset, sed hic iubet Plato quiescere, quod satisfactum putemus disquisitioni sinceræ, accuratæ & intimiori hac vice.

Præfari hæc volumus, occasione Disputationis Inauguralis, de PESTE HAMBURGENSE, Clarissimi medicinæ Doctorandi

IOHANNIS FRANCISCI BEERWINCKELII.

Natus is est Helmstadii Anno reparatæ Salutis MDC LXXXII. Parentibus Nobilissimis, Patre D. TOBIA ERNESTO BEERWINCKELIO, Medico Experientissimo, primum Helmstadii, hinc Halæ Magdeburgicæ, piæ memoriæ, Matre CATHARINA THEODORA, VON FELDEN.

Ab his, simul per ætatem licuit, in pietate, bonis literis & moribus sollicite educatus, & a præceptoribus domesticis informatus fuit, donec Anno MDCC. in Academia Hallensi,
Pro.

Pro-Rectore Magnifico HEINRICO BODINO, Iurium Professore Publico celeberrimo, in numerum Studioforum receptus fuit.

Hic primis annis Collegia tractauit Philosophica, cursumque philosophicum hausit sub auspiciis Viri summe Reuerendi IOHANNIS FRANCISCI BVDDEI, Professoris tunc temporis ibidem famigeratissimi. Logicam & Ethicam apud IOHANNEM SPERLETTE, Prof. Publ. audiuit. Interfuit etiam Collegiis Anatomicis D. IOHANNIS DANIELIS STANGII. Seorsim vero sectatus est Exercitia Theoretica & Practica, Chimica, Anatomica, & Physica Experimentalia Excellentissimi D. FRIDERICI HOFFMANNI, cui plurimum se debere maxime deprædicat.

Hinc ad nos latus MDCC XII. Rectore Magnifico D. IOHANNE HADRIANO SCHLEVOGTIO, Hereditario in Ober-Rosla, Lectionibus Professorum Medicorum se sociavit Auditorem, & studiorum telam finire constituens, modeste inter Candidatos Artis nomen professus a Facultate gratiosa sine potitus est.

Admissus ergo & receptus, hinc ante annum hunc ab Illustri Magistratu Urbis perinclutæ Hamburgensis vocatus & constitutus Physicus Pestilentialis ibidem ad Contagii finem, Deo, O. M. secundante, perstitit, & muneri suo examussim satisfecit.

Saluus ergo & incolumis ad nos redux, vt, quæ obeunda sibi restarent pro impetranda Licentia, perficeret & absolueret, ad D. Nou. V. habiturus est, sub præsidio D. IOHANNIS ADOLPHI WEDELII, Medicinæ Professoris Ordinarii, laudatam Disputationem.

Huic Actui & Panegyri vt Pro-Rector Magnificus, Proceres & Patres Academix venerandi, Hespites omnium ordinum honoratissimi, & artis seruandorum hominum fautores, gratiosam & beneuolam suam præsentiam non dedignari velint, peramanter & officiose oro rogoque. P. P. Ienæ sub

Sigillo Facultatis. Anno MDCCXIV,
d. IV. Nouembr.

(L. S.)

Path. gen. 428, 16